

gia valere præcipimus. Cura autem rectorum provinciarum corporati urbis Romæ, qui in peregrina transgressi sunt, redire cogantur: ut servire possint functionibus, quas imposuit antiqua solennitas. — Datum prid. id. Jul. *Aquilan.*, *TATIANO* et *SYMMACHO* CONSS. 591.

TIT. XV.

DE PISTORIBUS.

1. Imp. *LEO* A. *VIVIANO* P. P.

Quicumque ex mancipiis comitis horreorum dignitatem et officium, vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, seu quolibet alio modo posthac fuerit adsecutus: exutus dignitate, quam contra interdictum nostræ serenitatis adeptus est, multatus etiam viginti libris auri, ad antiquum de novo consortium collegiumque revocetur: omne etiam speciale beneficium, quocumque modo contra hanc sanctionem fuerit impetratum, penitus conqueat.

TIT. XVI.

DE SUARIIS ET SUSCEPTORIBUS VINI [ET CÆTERIS CORPORATIS.]

1. Imppp. *VALENT.*, *THEODOS.* et *ARCAD.* AAA. ad *Albinum* P. U.

Porcinarii urbis æternæ, cum pervigilem laborem populi romani commodis exhibeant: sordidis semper muneribus liberentur. — Dat. 8 kal. septemb. *Romæ*, *TIMASIO* et *PROMOTO* CONSS. 589.

2. Imp. *ARCAD.* et *HONOR.* AA. *Florentio* P. P.

Quicumque ex corporibus suariorum, sive excipiendæ necessitate litis adstrictus, sive inferendæ voluntate spontanea provocatus iudicium voluerit experiri: fori urbani auditorium præstoletur. — Dat. 18 kal. februar. *Romæ*, *BASSO* et *PHILIPPO* CONSS. 408.

TIT. XVII.

DE COLLEGIATIS, ET CHARTOPRATIS, ET NUMMULARIIS.

1. Imp. *THEOD.* et *VALENT.* AA. *Cyro* P. U.

Qui [sub 4] prætextu decanorum seu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis se muneribus conantur subtrahere: eorum fraudibus credimus esse obviandum: ne quis sub specie muneris, quod minus exequitur, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum, vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo collegiati, vel decani festinant. Ideoque si quis eorum sub nudæ appellationis velamine collegiatum se vel decanum appellat: sciat pro se alium subrogandum, qui prædicto muneri sufficiens approbetur: subrogatione videlicet memoratorum, vel eorum, qui moriuntur, primatum ejus, qui subrogatur admissa iudicio. — § 1. Quod autem supra 2 numerum, qui in cautis brevibus continetur, nemo se quolibet patrocinio, vel cujuslibet adsumpta potentia debeat excusare, hoc nostræ est serenitatis censere, et tuæ sublimitatis tuique officii cautius observare. Hoc inter omnes æqua lance servari præcipimus: nullo divinæ domus patrocinio, nulla sacrosanctarum ecclesiarum reverentia, nulla qualibet, vel cujuslibet potentia se excusante. Sed ne tantum circa munera relevanda supplicibus consuluisse noscamur: illud etiam dicendum observandumque esse censemus, ut chartæ venditio, quæ de provinciis ad corporatos supplicum per innovationem translata est, primæ constitutionis terminis concludatur: hoc est, quod in initio dispositionis constitutum est, id in posterum nulla addita novatione servetur. — Dat. 10 kal. april. *THEOD.* et *FESTO* CONSS. 459.

TIT. XVIII.

DE STUDIIS LIBERALIBUS URBIS ROMÆ, ET CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. Imp. *THEODOSIUS* et *VALENTIN.* AA. P. U.

Universos 1, qui usurpantes sibi nomina magistrorum, in publicis ma-

TIT. XIV. — 1. L. 50, supr. de decurion.

TIT. XV. — 1. L. 1, l. 2, infr. de frum. urb. Constant. h. lib. tit. 25.

TIT. XVII. — 1. L. 9, supr. de sacros. ecclies. — 2. L. 4, supr. d. t. l. pen. supr. de com-

gistrationibus cellulisque collectos undecunque discipulos circumferre consueverunt, ab ostentatione vulgari præcipimus amoveri: ita ut si quis eorum post emissos divinæ sanctionis affatus, quæ prohibemus, atque damnamus, iterum forte tentaverit, non solum ejus quam meretur, infamiae notam subeat, verumetiam pellendum se ex ipsa, ubi versatur illucite, urbe cognoscat. Illos vero, qui intra plurimorum domos eadem exercere privatim studia consueverunt, si ipsis tantummodo discipulis vacare maluerint, quos intra parietes domesticos docent, nulla hujusmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium constituti, hi omnibus modis privatarum ædium studia sibi interdicta esse cognoscant: scituri, quod si adversus celestia statuta facientes deprehensi fuerint, nil penitus ex illis privilegiis consequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt, merito deferuntur. Habeat igitur auditorium specialiter nostrum in his primum quos romanæ eloquentiæ doctrina commendat, oratores quidem, tres numero: grammaticos vero decem. In his etiam, qui facundia gravitatis polere noscuntur, quinque numero sint sophistæ, et grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adolescentiam gloriosam optamus institui: profundioris quoque scientiæ atque doctrinæ memoratis magistris sociamus auctores: unum igitur adjungi cæteris volumus, qui philosophiæ arcana inveniatur: duos quoque, qui juris ac legum voluntates pandant: ita ut unicuique loca specialiter deputata assignari faciat tua sublimitas: ne discipuli sibi invicem possint obstrepere vel magistri: neve linguarum confusio permixta, vel locum, aures quorundam, aut mentes a studio literarum avertat. — Dat. 5 kal. Mart. *Constantinop.*, *THEODOSIO* A. 11 et *VALENTINIANO* CONSS. 425.

TIT. XIX.

DE HONORATORUM VEHICULIS.

1. Imppp. *GRATIAN.*, *VALENT.* et *THEOD.* AAA. *Nebriديو* P. U.

Omnes honorati, seu civilium, seu militarium, vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis, intra urbem sacratissimi nominis semper utantur. — Dat. 5 kal. febr. *Constantinop.*, *HONOR.* N. P. et *EVODIO* CONSS. 586.

TIT. XX.

DE PRIVILEGIIS URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. Imp. *HONOR.* et *THEODOSIUS* AA. *Philippo* præfecto Illyrici.

Urbs Constantinopolitana non solum juris italicæ, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogativa letetur. — Dat. prid. id. Jul. *EUSTATHIO* et *AGRICOLA* CONSS. 421.

TIT. XXI.

DE METROPOLI BERYTO.

1. Imp. *THEODOS.* et *VALENT.* AA. *Hormisdæ* P. P.

Propter multas justasque causas metropolitano nomine ac dignitate civitatem Berytum decernimus exornandam, jam suis virtutibus coronatam. Igitur hæc quoque metropolitana habeat dignitatem. Tyro nihil de jure suo derogetur. Sit illa mater provinciarum majorum nostrorum beneficium: hæc nostro, et utraque, dignitate simili perfruatur.

TIT. XXII.

DE CANONE FRUMENTARIO URBIS ROMÆ.

1. Imppp. *VALENTINIANUS*, *VALENS* et *GRATIANUS* AAA. ad *Julianum* PF. annonæ.

Nautici apud præsidum aut magistratum acta conficantur incorruptas species suscepisse, eorumque apud quos deponitur ista testatio, præsens aspectus probet nihil in his esse vitii: quod eo tempore quo ad sacre urbis portum pervenit, præfecturam jugiter observare præceptum est. — Dat. 18 kalend. Jul. *Remis*, *GRATIANO* A. 1 et *DAGALAILO* CONSS. 566.

mercis: N. 43.

TIT. XVIII. — 1. *Adde* L. un. infr. de profess. qui in urb. lib. 12, tit. 15.

TIT. XX. — 1. L. 1, in pr. D. de censib. — 2. L. 6, supr. de sacros. ecclies.

2. Imp. *ARCADIUS* et *HONORIUS* AA. ad Senatam et populum.

Si quid frumenti, vel hordei urbarum canonicis remissione indulgentum est speciali beneficio: contra commodum publicum [rescripta] elicit non valeant. — Dat. 17 kal. Maji *Mediolan.*, *CESARIO* et *ATTICO* CONSS. 597.

3. *Idem*, AA. *Messalæ* P. P.

Neminem patitur in mutando canone urbis Romæ nostræ clementiæ beneficium postulare, sed etiam ea rescripta quæ quoquo modo poterint impetrari, suscipi non sinimus: eos vero qui contra hæc fecerint, in duplum retinendos esse decernimus vicarios, quin etiam cæteros judices (nisi deinceps ab usurpatione urbarum canonicis abstineant) deportationis pena detineri: primates officiorum capitali supplicio subjugari perpetua auctoritate sancimus. — Dat. prid. non. septembr. *Alino*, *THEODORO* V. C. CONSS. 599.

TIT. XXIII.

DE FRUMENTO URBIS CONSTANTINOPOLITANÆ.

1. Imp. *HONORIUS* et *THEODOSIUS* AA. *Urso* P. U.

Nulli, ne divinæ quidem domui nostræ, frumentum de horreis publicis pro annonâ penitus præbeatur: sed integer canon mancipibus 1 consignetur annonâ in pane cocto domibus exhibenda: ita enim debet canon ab indyæ memoriæ Constantino præstitus, necnon a divo pietatis mæavo 2 [Theodosio] auctus, expendi: quoniam crescit inopia, si frumenta quæ pro annonâ tribuuntur 3, ad usus alios deputata cognoscantur: cogentur enim de publico sibi emere, quæ aliis vendere potuissent. — Dat. 10 kal. Aug. *Constantinop.*, *THEOD.* A. 7 et *PALLADIO* CONSS. 416.

2. Imp. *THEOD.* et *VALENT.* AA. *Leontio* P. U.

Auri statuta quantitas ad coemptionem frumentariam perpetuo sit dedicata 4: nec liceat cuiquam post administrationem urbariarum potestatis perceptam, aliquid ex eadem summa minuere, vel ad quoscumque alios usus convertere: sed sub gestorum testificatione certum fiat, et quod mancipibus 5 mutui nomine datum est, et quod ab iisdem sit excepta omni concussionem solvendam. Eum autem, qui hanc formam ausus fuerit inquinare, quantum in, in qua suam calliditatem exereuerit, in duplum redhibere jubemus: et quicquid ex prædicta ratione accreverit, ad cumulum ejusdem auri quantitatis, et framentarii tituli firmiter redundare: legisque hujus tenorem æneis tabulis incidit. — Dat. 8 kal. decemb. *Constantinop.*, *ARIOBINDO* et *ASPARE* CONSS. 434.

TIT. XXIV.

DE ANNONIS CIVILIBUS.

1. Imppp. *THEOD.*, *ARCAD.* et *HONOR.* AAA. *Proculo* P. U.

Annonas publicas non tam titulis dignitatum, quam singulorum virorum meritis attributas divi Constantini liberalitate satis claruit. Ideoque nihil ex his scholarum nomine vindicetur: sed pro 1 unuscujusque merito, quæ sunt concessa, serventur, ut quicumque perceptarum annonarum emolumenta, vel in heredes propriis jure sanguinis transfuderunt, vel in extraneos distractionis titulo transcripserunt: maneat quod gestum est, vel hereditatis merito, vel alienationis arbitrio. — Dat. 7 kalend. Jul. *Constantinop.*, *ARCADIO* A. 2 et *RUFINO* CONSS. 592.

2. Imppp. *THEODOS.*, *ARCAD.* et *HONOR.* AAA.

Centum 2 vigintiquinque modios frumenti, præter solitum canonem, per singulos dies de præsentis sexta indictione ex die kalend. Januarii nomine parapeteumatis de horreis publicis hujus æmæ urbis, insita nostræ pietatis liberalitate tribuimus, datis sacris apicibus ad sublimissimam quoque per Orientem præfecturam, quibus possit, et modum nostræ donationis agnoscere, et incunctanter præbere, quæ jussimus: quam modulationem jugiter, et in perpetuum civibus nostris debere conferri, valitura in eum hæc lege sancimus.

TIT. XXII. — 1. L. ult. supr. si contra jus vel util. publ.

TIT. XXIII. — 1. L. ult. infr. h. t. l. un. supr. de pistorib. — 2. *Adde* L. ult. infr. tit. prox. — 3. L. ult. supr. tit. prox. — 4. L. 2, § 2 et 4, vers. sin. autem, D. de admin. rer. ad civit. pertinet. — 5. L. 1, supr. h. t.

TIT. XXIV. — 1. L. ult. in pr. infr. h. t. l. ult. infr. de frumento Alexandr. h. lib. tit. 17.

TIT. XXV.

DE MENDICANTIBUS VALIDIS.

1. Imppp. *GRATIANUS*, *VALENTINIANUS* et *THEOD.* AAA. ad Severum P. U.

Cunctis, quæ s 1 in publicum questum incerta mendicitas vocaverit, inspectis, exploretur in singulis, et integritas corporum, et robur annorum: atque inertibus, et absque ulla debilitate miserandis necessitas inferatur, ut eorum quidem, quos tenet conditio servilis, proditor studiosus et diligens dominium consequatur: eorum vero, quos natalium sola libertas persequitur, colonatu perpetuo fulciatur, quisquis hujusmodi lenitudinem prodiderit ac probaverit: salva dominis in eos actione, qui vel latebram forte fugitivis vel mendicitatis subeunde consilium præstiterunt. — Dat. 12 kal. Jul. *Patavi*, *ANTONIO* et *SYAGRIO* CONSS. 582.

TIT. XXVI.

DE NAUTIS TIBERINIS.

1. Imp. *VALENT.* et *VALENS* AA. ad *Symmachum* P. U.

Qui navem Tiberinam habere fuerit ostensus: onus 1 reipublicæ necessarium agnoscat. Quocumque igitur navigium in alveo Tiberis invenitur, competentibus et solitis obsequiis mancipetur: ita ut nullius dignitas, aut privilegium ab hoc officio vindicetur. — Dat. 8 id. octob. *Atini*, divo *JOVIANO* et *VARRONIANO* CONSS. 364.

TIT. XXVII.

DE FRUMENTO ALEXANDRINO.

1. Imp. *HONOR.* et *THEOD.* AA. *Anthemio* P. P.

In æstimatione frumenti, quod ad civitatem Alexandrinam convehitur, quicquid de crithologia et zygostasii munere, et pro nauclerorum tuenda substantia eminentia tua disposuit, roboramus: atque, ut curialibus prædæ auferatur occasio, jubemus eos ad hujusmodi solitudinem affectandam nunquam accedere, designata officia tuis provisionibus examinata, solitudinem prædictam implere. — Dat. 5 kal. febr. *Constantinop.*, *HONOR.* 9 et *THEOD.* 5 AA. CONSS. 412.

2. Imp. *THEOD.* et *VALENT.* AA. *Isidoro* P. P.

Diurnos 4 centum et decem modios alimonis Alexandrinæ civitatis addi decernimus: ut nemo privetur eo, quod nunc usque percepit: et *perisochoregiæ* nomen penitus amputetur, et tessera designentur, et nostræ pietatis nomine censeantur. — Dat. prid. non. Jun. *Constantinop.*, *ISIDORO* et *SENATORE* CONSS. 456.

TIT. XXVIII.

DE ALEXANDRIÆ PRIMATIBUS.

1. Imp. *THEOD.* et *VALENT.* AA. *Isidoro* P. P.

Corporatos civitatis Alexandrinæ repurgandi fluminis onere liberamus: et pro tenore dispositionis tuæ quadringentos solidos ex dinummo vectigali memoratæ civitatis præcommodari decernimus, ita ut ex titulo navium modis omnibus repenseatur. — Dat. prid. non. Jun. *Constantinop.*, *ISIDORO* et *SENATORE* CONSS. 456.

TIT. XXIX.

DE JURE REIPUBLICÆ.

1. Imp. *ANTONINUS* A. *Dionysio*.

Si quid adversus rempublicam indefensam 1, in ea specie, in qua neque defensores creati fuerint, neque ut crearentur, placuit, statutum est: actionibus ejus nihil est præjudicatum.

— 2. L. 1, supr. h. t.

TIT. XXV. — 1. *Adde* N. 80, c. 5.

TIT. XXVI. — 1. L. ult. supr. de navib. non exeus. h. lib. tit. 5.

TIT. XXVII. — 1. L. ult. supr. de annor. civil. h. lib. tit. 54.

TIT. XXIX. — 1. L. 3, infr. h. t.

2. *Idem*, A. Phorodio et aliis.

An respublica, in cuius locum successistis, ideo quia satisfacisse debito vos proponitis, jus pignoris in eo fundo habeat, apud suum iudicem quaeritur: si enim neque² beneficio sibi concessio id jus nacta est, neque specialiter in obligatione pignoris sibi prospexit: causa ejus non separatur a cæteris creditoribus, qui habent personalem actionem.

3. Imp. ALEXANDER A. Salvinino.

Rempubicam, [ut³ pupillam] extra ordinem juvari moris est.

4. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Urbano.

[Si] secundum legem civitatis respublica, cuius meministi, ruina collapsis aedificiis tuis distraxit aream⁴: nihil contra hujus legis tenorem rector provinciae fieri patietur.

TIT. XXX.

DE ADMINISTRATIONE RERUM PUBLICARUM.

1. Imp. PHILIPPUS A. Crescentiae.

Fundum vectigalem¹, si suis quibusque temporibus debite quantitates inferantur, invito possessore auferri non posse manifestum est.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Julio et Zenodoro.

Contra² eos, qui rempublicam administrantes, per officii necessitatem sub conditione relicti fideicommissi satis accipere debuerunt, quanti respublicae interest satis non [esse] acceptum, dirigendam esse actionem perspexit. — P. P. 7 kal. decemb. CC. Coass.

TIT. XXXI.

DE VENDENDIS REBUS CIVITATIS.

1. Imp. ANTONINUS A. Herculiano.

[Si] sine ulla conditione praedia vendente republica comparasti: perfecta venditione, nulla ratione vereris¹, ne adjectione facta, auferri tibi dominium possit. Tempora² enim adjectionibus praestituta ad causam fisci pertinent: nisi si qua civitas propriam legem habeat.

2. Imp. VALERIANUS et GALLIENUS AA.

Quamvis incrementum conductioni factae publici praedii videatur offerri, non tamen additamenti specie oportet fidem locationis infringi: praesertim, cum tantum jam temporis ex contractu decessisse proponas.

3. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

Si qua haereditatis, vel legati, seu fideicommissi, aut donationis titulo domus, aut annonae civiles, aut quaelibet aedificia vel mancipia ad jus inclutae urbis, vel alterius cujuslibet civitatis pervenerint: super his licebit civitatibus venditionis pro suo commodo injire contractum³: ut summa pretii exinde collecta, ad renovanda sive restauranda publica moenia dispensata proficiat. Indefessa vero cura prospicientes, ne quis adversus civitatum commodam quicquam moliri possit incommodi, sed sine ulla fraude seu nundinatione, vel colludio seu conniventia hujusmodi venditiones procedant: hoc [etiam] in posterum observandum esse censemus, ut si quidem ad hanc inclutam urbem domum, vel civiles annonas, aut alia quaelibet aedificia, vel mancipia pertinentia contigerit venditari: non aliter nisi imperiali auctoritate vendantur, in provinciis⁴ vero, praesentibus omnibus seu plurima parte, tam curialium quam honoratorum, et possessorum civitatis, ad quam res praedictae pertinent, propositis sacrosanctis Scripturis, sigillatim unumquemque eorum, qui convenierint, jubemus sententiam, quam putet utilem patriae suae designare: ut ita demum decreti recitatione in provinciali iudicio interveniente, emptor competentem possit habere cautelam. Hos autem venditionum contractus, sive jam completi fuerint, sive postea ineundi fuerint, stabiles esse censemus.

2. L. 37. D. de reb. suctor. judic. — L. 10. D. ad municip. — 3. L. 4. supr. quib. ex caus. major. — L. 1. supr. de offic. ejus qui vicem alicujus jud. — L. 9. D. de appellat. — 4. Adde L. 7. D. de offic. praesid.

TIT. XXX. — 1. L. 1. in pr. D. si ager vectig. — Adde L. 2. supr. de jure empt. — 2. L. ult. supr. ut in postea. legal.

TIT. XXXI. — 1. L. 1. supr. de fide et jure haer. — L. 21. in fin. D. ad municip. — 2. L.

TIT. XXXII.

DE DEBITORIBUS CIVITATUM.

1. Imp. ANTONINUS A. Diodoro.

Non prius debitorem¹ reipublicae honorem in republica subire, quam id, quod debere constiterit, conventus exsolverit: tam meis quam divorum principum constitutionibus declaratur.

2. Imp. CONSTANTINUS A. Verino S.

Apud eos, quos superstites integris facultatibus esse pervideris: vel quorum heredes incolumbia retinent patrimonia, sortes reipublicae perverare debent: ita tamen, ut annuas usuras suis quibusque temporibus exsolvant: cum simul et reipublicae utile sit retinere idoneos debitores: et ipsis sit commodum, cumulum debiti minime nutrir. Et quia nefas est, obnoxii corporibus alienatis, circumscribi civitates: placuit, si quis debitor reipublicae civitatis quippiam ex eo patrimonio, quod habuit, cum pecunia reipublicae sumeret, donaverit, vel distraxerit, vel quilibet in alium ratione contulerit: qualitate rei alienatae perspecta, atque omnibus debitoris facultatibus consideratis, quas habuit, cum ei pecunia crederetur, pro rata ab eo, qui ex debitoris facultatibus aliquid detinet, ex sorte atque usuris postulari. Itaque quoties minus idoneum deprehenditur ejus patrimonium, cuius nomen civitati alicui invenitur obnoxium, iudex omni diligentia et sollicitudine debet inquirere, ad quos ex qualibet conditione transierint debitoris facultates: ut singuli aequa aestimatione habita, pro rata rerum, quas possident, conveniantur: personalem actionem contra eum habituri debitorem, qui ipsis solventibus liberatur. Ab eo autem, a quo constat fortunarum suarum partem maximam recessisse, etiam reliquam portionem, quae apud eum resederit, transferri ad idoneum oportebit. Quod si quispiam debitor reipublicae civitatis, fisco nostro locum fecerit: emptores, qui a fisco nostro comparaverint, manifestum est, secundum jus vetus, et rescripta divorum [principum] constitutionesque nostras nullam debere molestiam sustinere. Quod si quis debitor non comparuerit, vel certe omnia sua ita consumperit, ut nemo aliquam rem ex ejus bonis possideat, id debitum convenit ad dispendium reipublicae pertinere: ideoque cura patris civitatis apud idoneos, vel dominos rusticorum praediorum pecunia collocanda est. — P. P. 3 kalend. febr. VOLUSIANO et ANNIANO COSS. 314.

TIT. XXXIII.

DE PERICULO NOMINATORUM.

1. Imp. GORDIANUS A. Serino.

Hi, qui a te collega tuo magistratus creati sunt: etiam si maxime fidejussores non exegistis, tamen si per id tempus, quo magistratus honor deponetur¹, solvendo fuerint, periculo vos creationis non fecerunt obnoxios, ex eo quod casu aliquo patrimonium eorum mutilatum sit: cum cessationi suae id debent imputare, damnaque reipublicae, si qua ob culpam eorum passa est, sarcire: qui cum nomine publico eos convenire potuissent, id facere supersederunt.

2. Imp. PHILIPPUS A. et PHILIPPUS C.

Si successoris tui successor non idoneum loco sui magistratum denominaverit, administrationis ejus periculum ad tuam personam spectare nequaquam potest. Etenim nominati successoris duntaxat quisque periculum suscipere compellitur: nec ad nominatoris nominatorem manus jure porrigi possunt.

TIT. XXXIV.

DE PERICULO EORUM, QUI PRO MAGISTRATIBUS INTERVENERUNT.

1. Imp. ANTONINUS A. Augustali.

Fidejussores¹ magistratum in his, quae ad reipublicae administrationem pertinent, teneri non in his, quae ob culpam, vel delictum eis poena nomine irrogentur, tam mihi quam divo Severo patri [meo] placuit.

4. supr. de fide et jure haer. — 3. L. 11. supr. de operib. publ. — 4. L. 1. supr. de praed. decur. — lib. 10, tit. 33.

TIT. XXXII. — 1. L. 6. § 1. D. de muner. et honor.

TIT. XXXIII. — 1. L. 15. § 1. D. ad municip.

TIT. XXXIV. — 1. L. 68. in pr. D. de fidejussor.

TIT. XXXV.

QUO QUISQUE ORDINE CONVENIATUR.

1. Imp. ANTONINUS A. Luciano.

Etsi duobus simul cura pecuniae civitatis, non tamen separatis portionibus, mandetur: singuli non pro virili portione, sed¹ in solidum reipublicae obligantur: cum autem de indemnitate civitatis ejus quaeritur, prius² ejus bona, qui administravit, ac mox si satisfieri non poterit, collegae conveniuntur: vos tamen, qui heredes unius ex curatoribus extitistis, damno, si quod post³ mortem ejus dolo, vel culpa collegarum accessit, onerari, non est rationis.

2. Imp. GORDIANUS A. Valerio.

Quoties duobus non separatim, sed pro indiviso munus injungitur, et ita ut unusquisque eorum periculo soliditatis videatur obstrictus: manus ad nominatorem⁴, priusquam utriusque, qui [id munus] administraverunt, solenniter fuerint excussi, nulla ratione porrigi possunt. Si vero separatis portionibus ad munus nominati sunt: prius⁵ pro portione conveniantur qui id munus administraverunt: item fidejussores eorum. Si nec ab his quidem indemnitas fuerit servata, tunc demum creatorem: ac si nec is quidem sufficiat, novissime participem muneris conveniri debere praesens non ignorat.

3. Imp. CARUS, CARINUS et NUMERIANUS AAA. Theodosio.

Si ita duumviri creati estis, [hoc expresso,] ut mutuo periculo teneamini, in dubium non venit vicariis⁷ damnis vos esse obstrictos: cum in magistratibus prius nominatores⁸ conveniendos esse [hoc quod in persona nostra custo liri considerastis] constitutum est.

4. Imp. DIOCLETIAN. et MAXIM. AA. Dioni.

Cum te et collegam tuum magistratus vestri tempore publicum fœnus collocasse proponas, nec potuisse debitum a quibusdam reipublicae restitui: cum paratus sis pro te id, quod solus gessisti, reipubl. satisfacere, consequens est rempublicam, si separati actus vestri contractus fuerint⁹, successores collegae tui, vel rerum ejus possessores prius ob personam ejus congregari: et si solida indemnitas reipublicae servata non fuerit, nominatores ejus¹⁰ interpellare: ac postremo loco, si quid ex nomine collegae tui defuerit, ob¹¹ culpam nexum te interpellare: priores enim nominatores, veluti fidejussores placuit obstringi.

TIT. XXXVI.

NE QUIS LIBER INVITUS ACTUM REIPUBLICAE GERERE COGATUR.

1. Imp. ALEXANDER A. Urbico.

Si, ut proponis, decreto¹ ordinis ad libertatem ductus es, non² debere te invitum actum reipublicae administrare, curator reipublicae non ignorat: praesertim cum servi hujusmodi officia administrare debeant.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. Tiberio.

Si cum ingenuus esses, ad actum gerendum a republica compelleris, auxilium praesidis, et juris praesidia, prout usus exigebat, implorare potuisti.

TIT. XXXVII.

SUMPTUS INJUNCTI MUNERIS AD OMNES COLLEGAS PERTINERE.

1. Imp. MAXIMIAN. A.

Cum ad munus exhibendarum angariarum cum aliis creatus, a consortibus muneris sollicitudine deserta, solum te functum esse proponas: sumptuum detrimenta, si qua acciderint, collatione eorum quos munus oportuerat participare, provisione praesidis dividuntur: quod si etiam a te obsequium derelictum esse cognoverit: quid censurae publicae congruit, non ignorat.

TIT. XXXV. — 1. L. 11. in pr. D. ad municip. — 2. L. 2. infr. h. t. — L. 3. in pr. D. de adm. rer. ad civit. pertin. — 3. L. 1. in pr. D. de oper. publ. — 4. L. 31. L. ult. in fin. infr. h. t. — 5. L. 1. supr. cod. — 6. L. 15. D. ad municip. — 7. L. 1. supr. h. t. — L. 11. in pr. D. ad municip. — 8. L. 2. supr. h. t. — 9. L. ult. § 1. D. de adm. rer. ad civit. pertin. — 10. L. 2. in pr. supr. h. t. — 11. L. 11. in fin. D. ad municip.

TIT. XXXVI. — 1. L. 1. supr. de serv. reipubl. manumit. — 2. L. ult. infr. h. t.

TIT. XXXVIII.

DE HIS, QUI EX OFFICIO, QUOD ADMINISTRARUNT, CONVENIUNTUR.

1. Imp. M. ANTONINUS A. Octavio.

Fœnoris reipublicae, quod non tua culpa perditum esse apparuerit: sufficit sortis damnum, non¹ etiam usurarum ejus sustinere.

TIT. XXXIX.

DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS DEBITORUM CIVITATIS.

1. Imp. ALEXANDER A. quatuorviris et decurionibus Fabretanorum.

Cautiones servorum publicorum ita demum firmam securitatem debitoribus praestant, si curatorum¹ adsignantium, vel eorum quibus exigendi jus est, auctoritate subnixae sunt. Cum autem is qui excoluisse dicitur, solam scripturam actoris suscipiens pecuniam promat, ea tantum defensio consuevit admitti, si quod exsolutum est, rationi reipublicae proficisse doceatur. Sane curator vester, si fraude servi constiterit effectum ut interciperentur a curatore illatae a debitoribus quantitates, de peculo ejus quod eo modo deest, restituet.

TIT. XL.

DE SPECTACULIS, ET SCÆNICIS, ET LENONIBUS.

1. Imp. VALENS, GRATIANUS et VALENTINIANUS AAA. ad Hesperium proconsulem Africae.

Non invidemus, sed potius cohortamur, amplectenda felicitis populi studia, gymnici ut agonis spectacula reformentur. Verumtamen cum primates viri, populi studiis ac voluptatibus grati esse cupiant, promptius permittimus, ut integra voluntas sit, quae volentium celebratur impensis. — Dat. 6 id. Mart. Trever., VALENTE 8 et VALENTINIANO AA. COSS. 376.

2. Imp. GRATIANUS, VALENTIN. et THEODOS. AAA. ad Valerianum P. U.

Eos qui agitandi munus exercent, illustris auctoritas tua nullis, praeter circense¹ certamen, adfici noverit oportere supplicis. — Dat. 8 id. Maji Eucherio et SYAGRIO COSS. 381.

3. *Idem*, AAA. ad Valerianum P. U.

Quisquis equos, quos vel serenitas nostra, vel ordinarii consules tribuunt voluptatibus, ad commodum compendiumque privatum obdixerit, unius librae auri condemnatione multetur. — Dat. 8 kal. Maji Trever., EUCHERIO et SYAGRIO COSS. 381.

4. Imp. THEODOSIUS, ARCADIVS et HONORIUS AAA. Rufino P. P.

Si qua in publicis porticibus, vel in his civitatum locis in quibus nostrae solent imagines consecrari, pictura pantomimum² veste humili, et rugosis sinibus agitatore, aut vilem offerat histrionem, illico revellatur: neque unquam posthac liceat in loco honesto inhonestas³ adnotare personas: in aditu vero circi, vel in theatri proscenii, ut collocentur, non vetamus. — Dat. 3 kal. Jul. Heracleae, ARCAD. A. 3 et HONOR. A. 2 COSS. 396.

5. Imp. HONOR. et THEODOS. AA. Anthemio P. P.

Nemo iudicum ex quacunque civitate in aliud oppidum vel ex provincia solo equos curules, aurigas, bestias, histriones, cives tentet traducere: ne dum popularibus plausibus intemperanter serviunt, et publicorum rerum statum fatigent, et festivitatem impediunt in cunctis oppidis celebrandam, ita ut si quis hanc violaverit jussionem, poena teneatur ea quae legum violatores persequitur. — Dat. 8 id. August. Constantinop., HONORIO 8 et THEODOSIO 3 AA. COSS. 409.

6. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Florentio P. P. 4

Lenones⁵ patres et dominos, qui suis filiabus, vel ancillis peccandi

TIT. XXXVIII. — 1. L. 21. § 1. L. 24. D. ad municip. — L. ult. in pr. D. de adm. rer. ad civit. pertin.

TIT. XXXIX. — 1. Fac. L. 1. supr. de rat. publ. oper. — L. 1. supr. quib. muner. excus.

TIT. XL. — 1. L. 1. § 2. D. de muner. — 2. Adde L. 45. in fin. D. de act. empt. — L. 25. § 1. D. de operib. libert. — 3. Fac. L. 4. D. de his qui not. infam. — 4. L. 12. supr. de episc. aud. — 5. Adde L. 14. in fin. D. de pignorat. act. — L. ult. D. si a parente quis manumis.

necessitatem imponunt; nec jure frui domini, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione subduci, ne potestatis jure frui valeant, neve quid eis ita possit acquiri: sed ancillis filiabusque⁶, si velint, conductivæ pro paupertate personis, quas sors damnavit humilior, episcoporum liceat, iudicum etiam defensorumque implorato suffragio, omni miseriarum necessitate absolvi: ita ut si insistendum eis lenones esse crederint, vel peccandi ingerant necessitatem inivitis, amittant non solum eam quam habuerint potestatem, sed proscripti, pœnæ mancipentur exilii, metallis addicendi publicis: quæ minor pœna est, quam si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sortes ferre, quas nolit. — Dat. 11 kal. Maji FELICE et TAURO COSS. 428.

Ne quis deinceps lenocinium exerceat, et nullus reditus inde largitionibus inferatur, nullus ancillam ingenuamve prostituat; alioquin humilior, qui id fecerit, coercitur metalli, et exilii pœna damnabitur: honestior bona, et militiam, ac dignitatem amittat. His quoque abstineant thymelici. Quod si ancilla prostituta sit, ut gratuito vindicetur ab omnibus viris, aut feminis, clericis, aut monachis. Et uti hæc observent magistratus, tam majores, quam minores, et officia eorum, corporis, et 20 librarum imminente pœna.

TIT. XLI.

DE EXPENSIS LUDORUM PUBLICORUM.

1. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Marcellio.

Cum præsidem provinciarum impensas, quæ in certaminis editione erogantur, ad refectionem murorum transtulisse dicas: et quod salubriter derivatum est, non revocabitur: et solenne certaminis spectaculum post restitutam murorum fabricam, juxta veteris consuetudinis legem celebrabitur: ita enim et tutelæ civitatis instructæ murorum præsidio providebitur: et instaurandi agonis voluptas, confirmatis his, quæ ad securitatis cautionem spectant, insecti temporis circuitione representabitur.

TIT. XLII.

DE AQUÆDUCTU.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximilian. consularem.

Aquarum possessores, per quorum fines formarum¹ meatus transeunt, ab extraordinariis oneribus volumus esse immunes: ut eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti, mudentur: nec ad aliud superindictæ rei onus iisdem possessoribus attinendis: ne circa res alias occupati, repurgium formarum facere non curent. Quod si neglexerint, amissione possessionum multabuntur: nam fiscus prædium ejus obtinebit, cujus negligentia perniciem formæ congesterit. Præterea scire eos oportet, per quorum prædia aquæductus commeat², ut dextra, lævaque ex ipsis formis quindecim pedibus intermissis arbores habeant: observante officio iudicis, ut si quo tempore pullulaverint, excidantur: ne earum radices fabricam formæ corrumpant. — Dat. 15 kal. Jun. GALLICANO et SYMMACHO COSS. 350.

2. Imp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Paneratio P. U.

Si quis de cetero vetiti furoris audacia florentissimæ urbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex³ aquæductu publico derivando: sciat eundem fundum fiscalis tituli præscriptione signatum, privatis rebus nostris aggregandum. — Dat. 8. *Constantinop.*, TIMASIO et PROMOTO COSS. 389.

3. *Idem*, AAA. Albino P. U. Romæ.

Eos qui aquæ copiam, vel olim, vel nunc per nostra indulta meruerunt, usum aut ex castellis, aut ex ipsis formis⁴ jubemus elicere, neque earum fistularum, quas matrices vocant, cursum ac soliditatem attentare, [vel ab ipso aquæductu trahere.] Quod si quis aliter fecerit: non solum id quod prius jure beneficii fuerat consecutus, amittet: verum pro conditione quoque personæ severissima pœna plectetur. — Dat. 5 kal. sept. Romæ, TIMASIO et PROMOTO COSS. 389; et P. P. 4 kal. Jun. *Constantinop.*, OLYBRIO et PROBINO COSS. 393.

6. L. 7, § 3, D. de injur. Tr. XLII. — 1. L. 5, l. 6, infr. h. t. — 2. L. 6, vers. super his: L. 10, vers. hoc etiam, infr. eod. — 3. L. 10, in pr. infr. eod. — 4. L. 1, supr. eod. — 5. L. 11, infr. eod. — 6. L. 1, circa fin. supr. eod. — 7. *Adde* L. 1, § 2, D. de muner. — 8. L. 1, supr. h. t. — 9. *Adde* L. 10, vers.

4. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Asterio comiti Orientis.

Usus aquæ veterem, longoque dominio constitutum, singulis civibus manere censemus, nec ulla novatione turbari: ita tamen, ut quantitatem singuli, quam veteri licentia percipiunt, more usque in presentem diem perdurante percipiant: mansura pœna in eo, qui ad irrigationes agrorum, vel hortorum delicias, furtivis aquarum meatibus abutitur. — Dat. kal. novemb. CÆSARIO et ATTICO COSS. 397.

5. Imp. THEODOS. et VALENT. AA. Cyro P. P.

Si quis per divinam liberalitatem meruerit jus aquæ, non viris clarissimis rectoribus provinciarum, sed tuæ præcellentissimæ sedi celestes apices intimare debet: condemnatione⁶ contra illum qui preces moderatoribus insinuare conatur, quinquaginta librarum auri, et contra universos administratores qui rescriptum per surreptionem elicitum suscipere moliantur, proponenda: apparitoribus nihilominus eorundem viro- rum clarissimorum provinciarum animadversionibus pro vigore tui culminis subjugandis: et amplissima tua sede dispositura, quid in publicis thermis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari: quid his personis quibus nostra serenitas indulsit, ex aqua superflua debeat impartiri.

6. *Idem*, AA. Cyro P. P.

Omnis servitus aquarum aquæductus Hadriani sive domorum, sive possessionum, sive suburbanorum, sive balnearum, vel per divinos affatus intimatos in quolibet iudicio, vel per usurpationem impertitos, penitus exprobetur: malum enim predictum aquæductum nostri palatii, publicarum thermarum ac nymphæorum commoditatibus inservire, et decernimus hanc dispositionem modis omnibus in posterum servari: nemini licentia tribuenda, ab eodem aquæductu precibus oblati usum aquæ petere, vel [eum] audere perforare: scientibus his, qui qualibet ratione putaverint ad hujusmodi molimen accedere, vel officio, si ausum fuerit instruere, vel minus instructis precibus parere centena pondo auri multæ nomine fiscalibus rationibus esse illatos. Super his sancimus sulcum publicum aquarum nullis intra decem pedes arboribus coarctari⁷: sed ex utroque latere decempedale spacium integrum illibatamque servari. Præterea de plumbeis fistulis ducentibus ad thermas⁸, quæ Achilæa nuncupantur, quas providentiæ tuæ magnificentia factas fuisse cognovimus, eandem formam⁹ servari censemus: etenim memoratas fistulas thermis tantum, et nymphæis, quibus eminentia tua deputaverit, volumus inservire: facultate præbenda tuæ sublimitatis apparitoribus⁹ circumcendi sine formidine domus, suburbana, balnea, ad requirendum, ne qua deceptio, vel suppressio, vel insidiæ contra publicam utilitatem, a quoquam penitus attententur.

7. *Idem*, AA. Eutyichiano P. P.

Ad reparationem aquæductum, hujus æmæ urbis omnia vectigalia¹⁰, quæ colligi possunt ex universis scalis hujus inclite urbis, et ex operariis, qui cyzacenii dicuntur, ad refectionem ejusdem aquæductus procedere. Illo videlicet observando, ut nemo eorum, qui [jus] aquæ possident, quamcumque descriptionem sustineat: nam execrabile videtur, domos hujus æmæ urbis aquam habere venalem.

8. Imp. ZENO A. ad Amantium P. U.

Hac lege sancimus, ut si quis amplissimam præfecturam gubernans, aurum¹¹ aquæductui deputatum, ad alterum quodlibet opus non aquæductibus, vel aquæ publicæ competens extruendum, vel curandum putaverit convertendum: de suis facultatibus eandem summam aquæductus titulo repensare cogatur. Separatus vero arcarius aurum aquæductus suscipiat gloriosissimorum consulum¹² liberalitate, vel ex aliis titulis ad aquas publicas pertinentibus collectum, vel postea colligendum.

9. *Idem*, A. Poratio.

Diligenter investigari decernimus, qui publici ab initio fontes, vel cum essent ab initio fontes privati, postquam publice usum præbuerant, ad privatorum usum conversi sunt, sive sacris apicibus per surreptionem impetratis, ac multo amplius, si auctoritate illicita, nec appetito colore sacri oraculi hujusmodi aliquid perentatum fuisse dignoscitur: ut jus suum regiæ civitati restituatur, et quod publicum fuit aliquando, minime sit privatum, sed ad communes usus recurrat: sacris oraculis vel pragmaticis sanctionibus adversus¹³ commoditatem urbis quibusdam impertitis, jure cassandis, nec longi temporis præscriptione ad circumscribenda civitatis jura profutura.

universos, infr. eod. — 10. L. 8, infr. eod. — 11. L. 7, supr. eod. — 12. L. 2, in fin.; L. 3, in fin. infr. de consub. — 13. *Fac* L. 2, supr. de navib. non excus.; L. 2, supr. de canone frument. urb. Romæ.

10. *Idem*, A. Pontio.

Decernimus, ne quid a quacunque persona qualibet dignitate prædita contra minuscularios aquæductus, vel fontes publicos, qui ad aquæductus conflunt¹⁴, pertentetur. Sed et si quis clam, vel palam, auctoritate confusus, de iisdem paragogiis, vel fontibus aquam traduxerit, vel clandestinis insidiis forte surripuerit, publicis aquæductibus eam restituere compellatur. Hoc etiam præcipimus, ne in posterum a quolibet juxta eosdem aquæductus plantari qualescumque arbores possint: ne ex stirpibus labefactentur parietes aquæductuum. Quod antiquis etiam constitutionibus interdictum esse dignoscitur: scientibus universis, quod in posterum super hujusmodi commissis, suburbanum, vel prædium, vel balneum, vel aquæ mola, vel hortus, ad cuius usum aqua publica fuerit derivata, vel si quid ex his juxta aquæductum positum ad eum pertinet, qui plantavit arbores aquæductibus noxias, ad quemcumque pertineat locum, vel hominem, vel damnum proscritionis titulo subjacebit, et fisci juribus vindicetur: nulli super hujusmodi pœna, nec per sacros apices venia tribuenda. Universos autem aquarios¹⁵, vel aquarum custodes (quos *hydrophyllacos* nominant.) qui omnium aquæductuum hujus regiæ urbis custodes deputati sunt: singulis manibus¹⁶ eorum felici nomine pietatis nostræ impresso signari decernimus: ut hujusmodi adnotatione manifesti sint omnibus, nec a procuratoribus domorum, vel quolibet alio ad usus alios avellantur, vel angariantur, vel operarum nomine teneantur. Quod si quem ex iisdem aquariis, mori contigerit, eum nihilominus, qui in locum defuncti surrogatur, signo eodem notari præcipimus: ut militiæ quodammodo sociati, excubiis aquæ custodiendæ incessanter inhæreant: nec muneribus aliis occupentur.

11. Imp. ANASTASIUS A. Servo P. P.

Divinam dispositionem ab inclytæ recordationis principe Theodosio, super his, qui aquam sibi de publicis aquæductibus seu fontibus præberi desiderant, promulgatam, hac etiam lege in sua firmitate durare sancimus: quatenus nemo vel in hac sacratissima civitate, vel in provinciis sine divinis apicibus de sacro epistolarum scrinio more solito edendis, et iudicio tuæ celsitudinis, vel aliis, quorum interest, intimatis, vel intimandis¹⁷, aquam de publico aquæductu, seu fonte trahere permittatur: his, quicumque nostra jussa violaverint, seu violare concesserint, denarium librarum auri condemnatione, aliæque gravissima indignatione feriendis.

TIT. XLIII.

DE GLADIATORIBUS PENITUS TOLLENDIS.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Maximo P. P.

Cruenta spectacula in otio civili, et domestica quiete non placent: quapropter omnino gladiatores esse prohibemus. — P. P. *Beriti*, kal. octob. PAULINO et JULIANO COSS. 323.

TIT. XLIV.

DE VENATIONE FERARUM.

1. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Mauriano com. domestic. et vicesagen. magist. milit.

Occidentorum leonum¹ cunctis facinus potestatem, neque aliquam sinimus quenquam calumniam formidare. Bestias autem, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus transmittuntur, non plus quam septem² diebus intra singulas civitates detineri præcipimus: violatoribus eorum quinque libras auri fisci juribus illaturis. — Dat. 13 kalend. Jun. CONSTANTIO et CONSTATE VV. CC. COSS.; et dat. kalend. octob. *Constantinop.*, DN. HONOR. A: 11 et CONSTANTIO 2 V. C. COSS. 417.

TIT. XLV.

DE MAJUMA.

1. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Cæsario P. P.

Clementiæ nostræ placuit, ut Majumæ provincialibus lætitia reddatur:

14. L. 1, in pr. supr. h. t. — 15. L. 6, in fin. supr. eod. — 16. *Fac* L. 3, supr. de fabricensib. — 17. L. 5, supr. h. t. Tr. XLIV. — 1. *Adde* L. 1, § ult. D. de acquir. rer. dom. — 2. L. 1, infr. de tract. et staur. Tr. XLVI. — 1. N. 83; *adde* L. 3, vers. eadem lege, D. ad leg. Jul. majest.; L. 11, D. ad

ita tamen, ut servetur honestas, et verecundia castis moribus perseveret. — Dat. 7 kal. Maji *Constantinop.*, ARCAD. 4 et HONOR. 3 AA. COSS. 196.

TIT. XLVI.

UT ARMORUM¹ USUS INSCIO PRINCIPE INTERDICTUS SIT.

1. Imp. VALENTINIANUS et VALENS AA. ad Bulephorum cons. Campaniæ.

Nulli prorsus nobis insciti, atque inconsulti, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur. — Dat. 3 non. octobr. *Alini*, divo JOVIANO et VARRONIANO COSS. 364.

TIT. XLVII.

DE AGRICOLIS, ET CENSITIS, ET COLONIS.

1. Imp. CONSTANT. A. ad Æmilianum P. P.

Nunquam sationibus, vel colligendis frugibus insistentes agricolæ ad extraordinaria onera trahantur: cum providentiæ sit, opportuno tempore his necessitatibus satisfacere. — Lecta 7 id. Mart. JANUARIO et JUSTO COSS. 328.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad Dalcitium cons. Æmilia.

Si quis prædium vendere voluerit, vel donare: retinere sibi transfrendos ad alia loca colonos privata pactione non possit. Qui enim colonos utiles credunt: aut cum prædiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi prædium sibi prodesse desperant. — Dat. 3 kal. Maji *Mediol.*, CONSTANTIO A. 9 et JULIANO C. 2 COSS. 337.

3. Imp. VALENT. et VALENS AA. Faventio vic. Italia.

Quisquis ex desertis agris veluti vagos servos¹ liberalitate nostra fuerit consecutus, pro fiscalibus pensationibus ad integram terræ possessionem, ex qua videlicet servi manere videntur, habeatur obnoxius. Id etiam circa eos observari volumus, qui ex hujusmodi fundis servos ad possessiones suas transire permiserint. — Dat. prid. kal. Aug. *Mediol.*, VALENT. et VALENTE AA. COSS. 363.

4. *Idem*, AA. ad Modestium.

Hi, penes quos fundorum dominia sunt, pro² his colonis originalibus, quos in locis eisdem censitos esse constabit, vel per se, vel per exactores proprios recepta compulsione solitudine, implenda munia functionis agnoscant. Sane quibus terrarum erit quantalacunque possessio, qui in suis conscripti locis proprio nomine libris censualibus detinentur: ab hujusmodi præcepti communione discernimus: eos enim convenit propriæ commissos mediocritati, annonarias functiones sub solito exactore agnoscere. — Dat. kal. Maji *Constantinop.*, GRATIANO A. et DAGALAIPO COSS. 366.

5. *Idem*, AA. ad Oricum P. P.

Domini prædiorum id³, quod terra præstat, accipiant, pecuniam non requirant, quam rustici optare non audent: nisi consuetudo prædii hoc exigat.

6. *Idem*, AA. et GRATIANO. A. ad Germanianum.

Omnes omnino fugitivos adscriptitios, colonos, vel inquilinos, sine ullo sexus, muneris, conditionisque discrimine, ad antiquos penates, ubi censiti, atque educati, natiq; sunt, provinciis præsidentes redire compellant.

7. *Idem*, AA. ad Maximum P. P.

Quemadmodum originarios⁴ absque terra, ita rusticos, censitosque servos⁵ vendi omnifariam non licebit. Neque vero commento fraudis id usurpet legis illusor, quod in originariis sæpe est acitatum, ut parva portione terræ emptori tradita, omnis integri fundi cultura adimatur: sed cum soliditas fundorum, vel certa portio ad unumquemque perveniat, tanti quoque servi, et originarii transeant, quanti apud superiores dominos, et possessores, vel in soliditate, vel in parte manserunt: et emptor⁶ pretium quod dederit, amissum existimet: nihilominus venditori ad repetendos servos cum agnatione eorum vindicatione concessa, et si

leg. Jul. de vi publ. Tr. XLVII. — 1. L. 13, infr. h. t. — 2. L. 13, infr. eod. — 3. L. 8, L. 20, L. penult. infr. eod. — 4. *Adde* L. 112, D. de legat. 1. — 5. L. 12, infr. h. t. — 6. *Adde* L. 7, infr. de fundis rei pri.